Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1909
Quelle:
Copyright:

CCCCLXXXV.

874 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 11. f. congestus est e Sequentibus: I. Scripto, cui Titulus: *Simplex et vera narratio Historiæ Colloquij Wormaciensis scripta a Philippo Melanthone.* Initium hujus narrationis est: *Anno 1557. Mense Augusto postquam in urbem Vangionum venimus, antequam inchoaretur congressus cum pontificijs, Legati Principum nostrorum vocaverunt concionatores missos ad doctrinæ explicationem, et jusserunt paratos esse, cum a Præside* (Jul. Pflugkio Ep. Numburg.) *ad congressum cum pontificijs vocarentur* &c. Adparet mox, in primo hoc apud Legatos conventu Theologos Protestantes inter se dissensisse, quibusdam petentibus, ut ante omnia damnarentur *Cingliani, Doctrina Osiandri, Propositio: Bona Opera necessaria esse ad salutem*, et *Lapsus eorum, qui Adiaphora recepissent;* aliis contra contendentibus, haec aut declinanda aut differenda esse, quin monentibus Legatis, *quia missi essemus ad defensionem Ecclesiarum nostrarum aduersus pontificios, nunc nos debere in communi causa conjunctos esse, nec faciendam esse distractionem.* Sed nihil effectum. Scriptae Condemnationes, et quamvis *Melanchthon* et alii dehortarentur, a Collegis eorum ad Pontificios adlatae. *Hac distractione facta*, subdit idem, *nolunt pontificij Collocutores procedere.* Ita et istud Colloquium successu caruit. Acta quaedam ad illud pertinentia exhibet *Goldastus* in *Politisch. Reichshändeln* P. XVIII. p. 740. Vide etiam *B. G. Struvii Historie der Religionsbeschwerden* P. I. c. 3. §. 2. p. 277. Nostra vero *Narratio* inserta est L. I. *Epist. Melanchth.* a *Casp. Peucero* editar. *Witteb.* 1570. p. 201. 8.

II. *fol.* 6. Epistola a *Joh. Bugenhagio, Ge. Mayero, Casp. Crucigero* et *Phil. Melanchthone* scripta *Reuerendis Viris eruditione et virtute præstantibus D. Pastoribus Ecclesiæ Dei in inclyta Vrbe Argentorato* &c. Ejus initium: *Etsi ex literis Vestris et deliberatione, quam antea misistis, intelleximus, vos corruptelas doctrinæ constanter rejicere, quæ sunt in Sphynge Augustana* &c. Decretum *Interim* intelligunt, unde Epistola non ante annum 1548. data est. Ceterum laudant propositum et ad constantiam hortantur.

III. *fol. eod.* p. 2. Scriptum epistolare sine die et consule datum tempore promulgati *Interim*, de quo inter alia: *Liber Augustanus continet manifestas corruptelas, ideo nequaquam eum approbabimus, etiamsi exitia et supplicia nobis proponentur. Modeste autem de eo libro respondebimus* &c. quae, ut videtur, *Melanchthonem* innuunt. Initium est: *Scimus Dei beneficio discernenda esse Imperia ab Ecclesia Dei, tametsi semper oportet alicubi in imperijs esse aliqua hospitia Eccle-*